UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Beneficia Vetera Et Nova, Divæ Virginis Dittelbacensis

Sang, Eucharius

Wirceburgi, 1607

In Thomsonum Scotoglossum & Lipsiomastigem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64129

Visual Library

In Thomſonum Scotogloſſum & Lipſiomaſtigem.

His peto quem telis, lingua tenebroſus amara eſt,
Quam ſtygius laniet, ſed ſine fine, lupus.
Huius ab impuro laceratur murmure VIRGO,
Quam ſuper euexit cuncta creata DEVS?
Hic, quòd Chriſtiparæ duplicare volumine laudes
Conatur docta Lipſius arte, furit?
O Phlegethontæo caput execrabile vultu,
Cor, quod inexpleto gutture, vultur edat!
Vile ſupercilium, ſpecies mala, lumen inane,
Et ferrugineus, qui ſedet ore, color!
Si tacuiſſet, erat lingua meliore tacendus:
Diſcat amara pati doctus amara loqui.
Et quia taxatur cum Matre clientulus inſons,
Hic ſcripto, geſtis rebus at illa grauis;
Cum nequeant violenta diu durare, faceſſat
Parcere qui Superis noluit, orbe liber.